Quelle: https://manuscripta.at/?ID=416
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

dictum est quia fuerat moriturus et donec resurgeret ab eorum aspectibus recessurus. sed quod esset iturus ad patrem. quod fecit post eam quam resurrexit. et cum eis quadraginta dies conversatus ascendit in celum. Illis ergo ait modicum et iam non videbitis me: qui eum corporaliter tunc videbant. quia iturus erat ad patrem: et eum deinceps mortalem visuri non erant. qualem cum ista loqueretur videbant. Quod vero addidit et iterum modicum et videbitis me: universe hoc promisit ecclesie alio in loco dicens. Ecce ego vobiscum sum usque in consummationem seculi. Non tardat dominus promissum. modicum et videbimus eum. ubi iam nichil rogemus nichil interrogemus. quia nichil desiderandum remanebit. nichil querendum latebit. Hoc modicum longum nobis videtur. quoniam adhuc agitur. cum finitum fuerit tunc sentiemus quam modicum fuerit. Non ergo sit gaudium nostrum quale habet mundus de quo dictum est. mundus autem gaudebit. Nec tamen in huius desiderii parturitione sine gaudio tristes simus. sed sicut ait apostolus. spe gaudentes. in tribulatione patientes. quia et ipsa parturiens cui comparati sumus plus gaudet de mox futura prole. quam tristis est de presenti dolore. Sed huius sermonis iste sit finis. Habent enim questionem molestissimam que secuntur nec brevitate coartanda sunt. ut possint commodius si dominus voluerit explicari.

Explicit Omelia .xcii. Incipit Omelia .xciii.

De eo quod dicit. amen amen dico vobis si quid petieritis patrem in nomine meo dabit vobis. et reliqua. in illo die me non rogabitis quicquam.

Domini verba. Hec ista tractanda sunt. Amen amen dico vobis. si quid petieritis patrem in nomine meo dabit vobis. Iam dictum est in superioribus huius dominici sermonis partibus propter eos qui nonnulla petunt a patre in Christi nomine nec accipiunt. non peti in nomine salvatoris quicquid petitur contra rationem salutis. Non enim sonum litterarum ac syllabarum. sed quod sonus ipse significat. et quod eo sono recte ac veraciter intelligitur. hoc accipiendum est cum dicit in nomine meo. Unde qui hoc sentit de Christo quod non est de unico filio dei sentiendum. non petit in eius nomine et si non taceat litteris ac syllabis Christum. quoniam in eius nomine petit. quem cogitat dum petit. Qui vero quod est de illo sentiendum sentit. ipse in eius nomine petit et accipit quod petit. si non contra suam salutem sempiternam petit. Accipit autem quando debet accipere. Quedam autem non negantur. sed ut congruo dentur tempore differuntur. Ita sane intelligendum est quod ait dabit vobis. ut ea beneficia significata sciantur in his verbis que ad eos qui petunt proprie pertinent. Exaudiuntur quippe omnes sancti pro se ipsis. non autem pro omnibus exaudiuntur. vel amicis vel